Quelle: http://manuscripta.at/?ID=30429
Copyright: Heiligenkreuz, Zisterzienserstift

Christus passus est secundum utrumque genus ignominiae et in se patiente et in commutatione quam habuit in passione. Postremo quia haec omnia non attingebant divinam naturam impassibilem sed solum humanam, hinc est quod in morte Christi sic facta est divisio animae a carne, ut tamen salva esset unitas personae. Quia et unio tam carnis quam animae cum deitate, et quia unio animae cum corpore facit hominem et facit vivum, hinc est quod Christus non fuit homo in triduo, sed anima et caro unitae erant cum Verbo. Unde quia mors in humana natura non potuit mortem inducere in ipsum qui semper fuit vita, ideo mortua est mors in vita, et per Christi mortem absorpta est mors in victoria et princeps mortis devictus. Ac per hoc homo a morte et causa mortis Christo tanquam per remedium efficacissimum liberatur.

[margin: pretium mortis]

De exitu passionis Christi.

De exitu autem passionis Christi et effectu haec sine dubitatione sunt tenenda, scilicet quod anima Christi post passionem descendit ad infernum sive ad limbum ad liberationem non omnium sed eorum qui inter membra Christi decesserant per fidem unitam vel per fidei sacramenta. Post haec tertia die resurrexit a mortuis resumendo corpus quod prius vivificaverat, sed non tale quale prius fuerat, quia prius fuit passibile et mortale, post autem resurrexit impassibile et immortale victurus perpetuo. Deinde post quadraginta dies ascendit ad caelos et super omnem creaturam exaltatus sedet ad dexteram Patris, quod demum intelligendum non quantum ad situm, quia non convenit Deo Patri, sed quantum ad excellentiam bonorum, quia scilicet residet in potioribus bonis Patris. Postmodo interiectis decem diebus misit in apostolos promissum Spiritum sanctum, per quem congregata est Ecclesia gentium et dedicata secundum diversas distributiones officiorum et gratiarum. Ratio autem ad intelligentiam praedictorum haec est: Quoniam sicut Christus in quantum Verbum increatum perfectissime omnia formavit, sic in quantum Verbum incarnatum omnia perfectissime reformare debuit. Decet enim perfectissimum principium opus non dimittere citra perfectionem. Debuit igitur reparatorium principium redemptionis humanae remedium perducere ad perfectionem. Ad hoc autem quod esset perfectissimum oportuit quod esset sufficientissimum et efficacissimum. Quia sufficientissimum, ideo se extendit ad caelestia, terrestria et infernalia, quia et per Christum sunt infernalia recuperata, terrestria remediata, caelestia redintegrata, ita quod primum horum fecit per victoriam, secundum per gratiam, et tertium per gloriam. Ideo post passionem anima descendit ad inferos ad liberandum in inferno detentos, deinde resurrexit a mortuis ad vivificandum in peccatis mortuos, ascendit ad caelos reducendo captivitatem ad redintegrandum Ierusalem caelestem, misit Spiritum sanctum ad aedificandum Ierusalem terrestrem. Quae omnia necessario concurrunt et exiguntur ad sufficientiam reparationis humanae. Rursus quia remedium illud fuit efficacissimum tam in eos qui Christi adventum praecesserunt quam in eos qui sequuntur, quia tam ad ipsum Christum accedunt et accesserunt et eius membra fuerunt et sunt. Tales autem sunt qui adhaerent ei per fidem, spem et caritatem. Ideo remedium illud efficaciam habere debuit primo in eos qui in Christum venturum crediderunt, credendo speraverunt et sperando amaverunt. Ac per hoc statim debuit ad inferos descendere ad ipsorum liberationem. Unde aperta est ianua caeli per Christi passionem, quae satisfaciendo amoverat rhompheam mutando sententiam divinam, eripuit de inferno omnia membra sua. Debuit etiam efficaciam habere [praecipuam] in eos qui Christi adventum sequuntur, ut attrahendo ad fidem, spem et caritatem tandem ad gloriam perduceret caelestem. Ut igitur aedificaret ad fidem, quia credimus Christum verum hominem et verum Deum, quia credimus eum voluisse nos redimere per mortem et ad vitam nos reducere posse per virtutem, ideo voluit resurgere ad vitam immortalem, interiecto tamen spatio temporis debito, scilicet triginta sex horarum, in quo ostenderet quod vere mortuus fuit. Nec magis accelerare voluit, ne si citius resurgeret, crederetur quod non vere mortuus fuisset, sed se mortuum finxisset. Nec amplius differre debuit, ne si semper iaceret in morte, crederetur impotens ad quod illos possit ad vitam revocare. Ideoque resurrexit tertia die. Et amplius ut nos erigeret ad spem, ad caelestem ascendit gloriam quam speramus; sed quia spes non oritur nisi ex fide immortalium futurorum, ideo non statim ascendit sed spatio quadraginta dierum interiecto, in quo per multa signa et argumenta veram ostenderet resurrectionem, per quam animos solidaret in fide et sublevaret ad sperandam gloriam caelestem. Postremo ut inflammaret ad caritatem, misit Spiritum sanctum in igne in die Pentecostes. Et quia nullus hoc igne impletur nisi qui quaerit, petit et pulsat cum instanti et importuno spiritus desiderio, ideo non statim post ascensionem misit, sed decem dierum spatio interiecto, in quo discipuli ieiunantes, orantes et gementes disposuerunt